

*Demeritz*  
10.078

cm

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21

8







Phil.  
Codurc

10028



*Demeritz*

10.078

10.078








15



pro. 26. 9. spona est in aby manu  
parabola in ore stulti.







D E

# GENEALOGIA

DOMINI NOSTRI

# IESV CHRISTI.

A SS.

MATHÆO ET LVCA

CONSCRIPTA

*PHILIPPI CODVRCI DISSERTATIO.*



PARISIIS;

Apud IOANNEM BESSIN, prope Collegium Remense.

M. DC. XXXVI.

*CVM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.*



D E

GENERALIA

DOMINI NOSTRI

IESU CHRISTI

MATTHEO ET LUCIA

COSSA RIPA

TITULI PRO COENAE DISCRETIO



PARIS 1818

APUD IOANNEM BASSINUM, LIBRARIUM, IN VIA S. MARTINI, AD ANGULUM

M. DC. XXXV

CUM TRIPESCIIS ET APPROPRIATIONE





ILLVSTRATVR  
 GENEALOGIA  
 CHRISTI,  
 AB VTROQVE EVANGELISTA  
 conscripta:

*Et quacunque diuersa habentur in illa legitimo  
 pacto conciliantur.*

**A**GGREDIENTIBVS nobis genus Domini à duobus Euangelistis conscriptum illustrare, & quæcunque diuersa habentur apud vtrunque legitimo pacto conciliare si quis inuidiam faceſſat ab illis glorioſiſſimi Apoſtoli ſanctionibus, 1. ad Tim. 1. *Ne fabulis & genealogiis interminabilibus attendant quæ controuerſiarum materiam præbent magis quàm diuina adificationis qua eſt in fide.* Et Ep. ad Tit. 3. *Stultas queſtiones & genealogias & contentiones & pugnas legales deuita.* Atque ita laborem hunc inanis ambitionis, vel etiam temeritatis inſimulet, ab ipſo limine hanc amoliri moleſtiam, niſi



operæ pretium, non abs re saltem fuerit. Expendant itaque illi quibus epithetis vetitas illas genealogias alienas à studio Theologico insigniat Apostolus. Primò appellat illas fabulas, id est narrationes ex ingenij humani sententia concinnatas: Deinde dicit illas sine carere, & interminabiles esse, ac materiam dicitatis magis suppeditare, quàm doctrinam idoneam fidei pangendæ & statuminandæ. Hæc enim est *οἰκοδομία τῶ θεῶ ἢ ἐν τῇ πίστει*. Iterum insanarum quæstionum, litium & pugnarum legalium superuacaneorum nomine illas exagitat. Sanè Christianus nemo senserit cogitasse Apostolum de genealogia Christi, quæ nobis in Euangelio tanta solertia, tantoque studio traditur, perstringenda. Quandoquidem illa primum fidei ædificandæ fundamentum sternit atque instruit: Nempe Iesum Nazarenum esse Germanum Daudidis filium, atque eiusdem legitimum hæredem & successorem, in quo promissiones à Deo factæ Daudi finem suum assequuntur. Rursum eundem esse Abrahami filium illum qui iure hæres censendus, in quo Dei promissiones Abrahamo factæ ratæ & comprobatae sunt, Per quem omnes gentes benedictionis confortes erant futuræ. Denique Iesum esse etiam Adami filium, videlicet Semen illud Mulieris primis parentibus à Deo promissum, in quo omnes Prophetiæ coronidem suam & complementum nactæ sunt. Eapropter sanctus Mathæus dicit ipsum Daudidis filium, Abrahami filium; sanctus Lucas ad Adamum vsque genealogiam eius prosequitur. Ea de causa tam accurati fuerunt Moyses & Prophetæ in conscri-



bendis genealogiis, quæ in monumentis eorum extant: vt conseruata & propagata, singulari prouidentia, illius familiæ, à qua Christus oriundus, absolutarumque in ipso Dei promissionum historia extaret certissima. Aliud igitur genealogiarum genus impetit Apostolus: Nempe illud quod ad Christum nihil attinet: Quod retinendis ritibus Mosaicis ansam præbet: Quod in Ecclesia turbas dare & dissidia excitare potest. Cuiusmodi fuere Leuiticæ genealogiæ, & sacerdotales, & reliquæ genealogiæ Iudaicæ: Quarum satagere in Ecclesia post aduentum Christi, superfluum & periculosum est. Nam propter Christum ante eius aduentum in Ecclesia celebratæ fuerunt; Post illum æterno silentio condendæ. Venit enim qui expectabatur, quem spectabant omnes ritus. Profligari etiam possunt canone Apostolico impiæ illæ genealogiæ rerum à Deo conditarum, quas colluuius illa hæreticorum à sancto Irenæo æternum infamata commenta est: Quæ veræ genealogiæ per Moysen traditæ aduersantur. Series enim creationis cœli & terræ & eorum quæ vniuersitatis huius ambitu continentur scitè hoc nomine donari potest. Nam Moyses dixit וְהָאֵלֹהִים תּוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ *elle tholdoth haschamajim ve haarets*. Et Septuaginta reddiderunt αὐτῆς ἢ βιβλος γενέσεως ἕξαρσ̄ ἡμ̄ τῆς γῆς. Hoc igitur remoto breuiter obiectamento genealogiam ab utroque Euangelista traditam ex parallelo componamus, admota è regione quæ extat apud Moysen & Prophetas generis Messisæ genealogia. Vt deinceps si quid perplexum videtur pro virili nostra explicemus; si quid aduersum



& repugnans conciliemus: Si quid abstrusum & delitescens eruamus, spiritus sancti ope ductuque innitentes, & gnomoni doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ gnauiter incumbentes.

*Genealogia Moysis & Prophetarum, ex Gen. 5. & II. capitibus. Et 1. Paralip. cap. 3.*

*Genealogia Evangelica secundum Mathæum.*

*Genealogia Evangelica secundum Lucam.*

*DEVS*

*Primus rerum omnium conditor creauit*

Adamū qui genuit

Seth.

Enos.

Cainan.

Mahaliel.

Iared.

Enoch.

Mathufala.

Lamech.

Noé.

Sem.

Arphaxad.

Sala.

Heber.

Phaleg.

Ragau.

Adam.

Seth.

Enos.

Cainan.

Mahaliel.

Iared.

Enoch.

Mathufala.

Lamech.

Noé.

Sem.

Arphaxad.

Sala.

Heber.

Phaleg.

Ragau.



DOMINI NOSTRI I. C. 7

Geneal. Moys. &

Proph.

Sarug.  
Nachor.  
Thara.  
Abraham.  
Isaac.  
Iacob.  
Iuda.  
Phares.  
Efrom.  
Aram.  
Aminadab.  
Naaffon.  
Salmon.  
Booz.  
Obed.  
Ifai.  
Dauid.  
Salomo.  
Roboam.  
Abia.  
Afa.  
Iofaphat.  
Ioram.  
Achazias.  
Ioas.  
Amasias.  
Hafarias, qui & Hozias.  
Ioatham.

S. Mathai.

Abraham.  
Isaac.  
Iacob.  
Iuda.  
Phares.  
Efrom.  
Aram.  
Aminadab.  
Naaffon.  
Salmon.  
Booz.  
Obed.  
Ifai.  
Dauid.  
Salomo.  
Roboam.  
Abia.  
Afa.  
Iofaphat.  
Ioram.  
Hozias.  
Ioatham.

S. Luca.

Sarug.  
Nachor.  
Thara.  
Abraham.  
Isaac.  
Iacob.  
Iuda.  
Phares.  
Efrom.  
Aram.  
Aminadab.  
Naaffon.  
Salmon.  
Booz.  
Obed.  
Ifai.  
Dauid.  
Nathan.  
Matthata.  
Melcha.  
Eliacim.  
Ionan.  
Ioseph.  
Iuda.  
Simeon.  
Leui.  
Matthar.  
Iorim.

*Mainan*



# DE GENEALOGIA

| <i>General. Moys. &amp; Proph.</i>   | <i>S. Mathai.</i>  | <i>S. Luca.</i>                     |
|--|--|-------------------------------------|
| Achas.   | Achas.   | Eliezer.                            |
| Ezechias.  | Ezechias.  | Iosé.                               |
| Manassé.   | Manassé.   | Er.                                 |
| Amon.  | Amon.  | Elmodan.                            |
| Iosias, cuius quatuor filij Iohanani siue Iochas, Iehojakim, græcè <i>ιωανημ</i> , Sedecias, Schallum, <i>1. Paralip. 3. cap.</i> Omnes abducti in captiuitatem. Et Iechonias filius Eliakim siue Iehojakim in captiuitate Regis nomine ornatus à Nabucodonozore, in qua genus eorum extinctum est nullis eorum liberis superstitibus, <i>2. Reg. ult. 2. Paralip. ult. Ierem. 22.</i> | Iosias.<br>Iechonias prior qui est Iochas vel Iochanan in trāsmigratione.<br>Iechonias posterior post trāsmigrationem. | Cofan.<br>Addi.<br>Melchi.<br>Neri. |
| Succedit itaque ex genere Nathanis Salathiel.  |  |                                     |
| Salathiel.   | Salathiel.   | Salathiel.                          |
| Pedaja.  |  |                                     |
| Zorobabel, cuius plures nati recensentur ad sextam vsque ge-   | Zorobabel.<br>Abiud.<br>Eliakim.   | Zorobabel.<br>Reza.<br>Ioanna,      |



DOMINI NOSTRI I. C. 9

| Geneal. Moys. & Proph.<br>nerationem. 1. Paral. | S. Mathai.       | S. Luca.                        |
|---|------------------|---------------------------------|
| 3.  | Azor.            | Iuda.                           |
|   | Sadoc.           | Ioseph.                         |
|   | Achim.           | Semei.                          |
|   | Eliud.           | Mattathias.                     |
|   | Eleazar.         | Maath.                          |
|   |                  | Nagga.                          |
|   |                  | Eli.                            |
|   |                  | Naum.                           |
|   |                  | Amos.                           |
|   |                  | Mattathia.                      |
|   |                  | Ioseph.                         |
|   |                  | Ianna.                          |
|   |                  | Melchi.                         |
|   |                  | Leui.                           |
|   | Matthan.         | Matthath.                       |
|   | Iacob.           | Eli.                            |
|   | Ioseph, maritus  | Ioseph <small>ὁς ἐνο-</small>   |
|   | Mariæ quæ pe-    | <small>μιζετο πατὴρ ἰη-</small> |
|   | perit Iesum.     | <small>σοῦ.</small>             |
|   | I E S V S        | I E S V S                       |
|   | C H R I S T V S. | C H R I S T V S.                |

Ex superiori itaque tabula, atque narratione Euan-  
gelica colligere licet sanctis Mathæo & Lucæ con-  
uenire de his quæ sequuntur.

Afferit vterque Iesum esse beatissima Maria Vir-  
gine natum, virtute Spiritus sancti conceptum.

Vterque docet Iesum haberi lege filium Iosephi



Mathæus enim postquam recensuit eos qui Iosephi maiores lege habiti sunt, addit demum ad calcem genealogiæ illius Iosephum fuisse Mariæ maritum, ex qua natus est Iesus. Vnde sequitur Iesum esse lege Iosephi filium, ratione sanctissimi & maximè legitimi matrimonij inter Iosephum & sanctissimam virginē facti. At Lucas ait de Iesu *ὁς ἐνομίζετο υἱὸς ἰωσήφ. i.* Qui lege habetur filius Ioseph. Vfus verbo quod significat, si veriloquium eius expendas, lege censerī. Ne quis existimaret cūm Iosephi naturalem genealogiam referret, eum esse Iesu patrem naturalem.

Vterque in recensendo genere Messix Iosephi duntaxat meminit. Neuter enim eorum explicat quo parente sata beatissima Virgo fuerit: Sed vterque per Iosephum à Dauide genus Christi ducit.

Vterque Matthat aum Iosephi nominat, Zorobabelem & Salathielem recenset.

Tandem à Dauide ad Abrahamum alter ab altero nihil discrepat.

Hoc verò differunt. Matthæus in censu suo genealogico à patribus ad filios descendit, Lucas à filiis ad patres retrogreditur.

Mathæus ab Abrahamo genealogiam Domini orditur. Lucas ad Adamum vsque eam profequitur.

Mathæus à Dauide ad Iosephum multò pauciores refert. Lucas enim quadraginta & vnum enumerat, Mathæus viginti & octo tantum.

A Dauide ad Iosephum præter illa tria capita Salathiel, Zorobabel, Matthat, nullum eorum nominat Mathæus quos Lucas.



Huius verò tam discriminis quàm consensus ratio quæsitæ est multis, vix vsquequaque, quod norim, vlli comperta est. Quamuis probè intellectam Ecclesiæ Apostolicæ, posteris sedulò traditam, sed *συντομῶς*, compendio, summatim atque in genere, malè verò exceptam & negligenter distributam & aptatam existimauerim. Tradiderunt Eusebius & Nicephorus Callistus epistolam quandam Astricani ad Aristidem, in qua asserit Africanus accepisse se quam profert rationem Mathæum cum Luca conciliandi in genealogiæ Christi recensione. Sed in illis Africani rationibus ἐν ᾧ μὲν εἶδεν ἐνδε πικρῶν Etenim in ea quæ Africanus atque alij à viris Apostolicis acceperunt inuectum est aliquid ex Africa, quod nouum redollet & monstrum præ se fert.

Pro veteri & Apostolico nemo non cordatus agnoscat, admittatque hæc quatuor, quæ ex Africanæ epistola excerni possunt.

1. Censeri genealogiam vel *νόμῳ* vel *φύσει*. Atque Mathæum sequutum hanc viam, Lucam alteram.

2. Desinere genus Salomonis in genus Nathanis, & hoc pacto coire vtranque genealogiam in quibusdam personis.

3. Iacob & Heli fratres esse.

4. Beatissimam Mariam & Iosephum eodem genere esse satos. Quatuor illa fluxisse ab Ecclesia prisca, sed conturbata & collutulata à posteris, perperamque reddita, & applicata nullus dubito. Atque his quatuor breuiter omnem rationem consensus & discriminis vtriusque Euangelistæ contineri sapien-



ter indicatum, & satis cautè depositum fuerat, si apud satis caros & gnauos.

Reliqua quæ ex Africano sunt, vel ex Africa, nempe ἀπίδοις & applicatio quatuor superiorum canonum ἀβασανίτης & insubidè non sunt insinuanda, sed diligenter perpendenda, vt absona repudientur.

His ego quatuor capitibus omnium studiosorum æstus solutum iri arbitror. Si qui supersunt scrupuli facile est explanare.

Iam ad singula consensus & discriminis illius capita animum conuertamus, vt cuiusque sigillatim ratio habeatur.

Doctrina primi capitis in quo idem eloquuntur sancti Mathæus & Lucas, Nempe Iesum Christum conceptum per Spiritum sanctum ex Maria Virgine natum, conceptissimis verbis in symbolo fidei Catholice continetur. Rationem ergo illius nemo Christianus desiderat.

Secundum caput est Christum Iosephi filium lege censerì. Quod S. Mathæus docet, quia genealogiam secundum legem refert. Sanctus verò Lucas cum naturalem adducat, ne Dominus habeatur naturalis filius Iosephi, dixit esse lege Iosephi filium.

Enimverò facile est hoc distinguere intelligenti quænam genealogia legalis, quæue naturalis esse dicatur. Siquidem naturalis genealogia necessariò definitur ea in qua pater dicitur eius filij qui sanguine ipsius proximè cretus est. Legalis autem in qua non modò filius appellatur qui proprio cuiusque sanguine cretus hæres nascitur; sed etiam qui nominis, bo-



norum, dignitatis, stemmatum alterius hæres & successor agnationis iure & lege filius pronuntiatur, quanquam ex ipsius proprio sanguine genitus & factus non est. Hoc nanque posito probatur genealogiam secundum legem à S. Mathæo, naturalem verò à S. Luca referri. Quia à Salomone ad Salathielem omnes Reges Iudæ quos S. Mathæus recenset Salathielis maiores non sunt naturalis generationis ratione, sed successionis. Neque enim à Salomone genus suum naturaliter ducit Salathiel, sed à Nathan Salomonis fratre. Ita vt nullo dissentiente secunda tessaradecas integra quæ apud Mathæum extat inter Salathielis parentes tantummodo secundum legem numeranda veniat: Nouemdecim vero capita inter Dauidem & Salathielem apud Lucam interiecta non nisi de naturali generatione ex aduerso intelligi queant. Quia genus Salomonis defecisse in Iosia postereis colligitur ex libris Regum & Paralipom. & Ierem. 22. & Ezech. 21.

Non est autem vero simile maiorem & potiore partem genealogiæ legali ratione institutam à Mathæo vt naturalem profeceretur: sanctum verò Lucam contra longè maiorem genealogiæ partem iuxta naturalem ordinem profecutum in minima parte quæ superfuit propositum mutauisse, & naturalis genealogiæ seriem conturbauisse. Ad hæc Hozias Ioramo naturaliter genitus fuisse dici nequit, cum Achafias, Ioas, Amafias ad supplendum naturalem censum desiderentur. Neque Iechonias Salathielem naturali ratione genuisse dici potest si superioribus



scripturæ testimoniis fides est habenda. Audiendi proinde non sunt, veteres qui cum Africano primum traditionis Apostolicæ canonem transuersum agunt & malè distorquent. Pugnant enim aduersus secundi canonis sanctionem.

Tertium caput Euangelistarum consensus est Beatissimam Virginem à neutro Euangelistarum in genealogia sua censerī, cuius rationem appositam reddit Chrysoſtomus in Mathæum *ἐκ τῶν γένων πατρῴων Ἰσραηλίων γενεολογῆσαι τὰς γυναῖκας*. Et tritum est in libris prisci iuris Iudaici *מִשְׁפַּחַת אֵם אֵינָהּ קְרוּיָה מִשְׁפַּחַת* *mischpehat em'eina kerujat mischpehat*. i. genus maternum pro nullo habetur. Atque apud illos authores vsurpatur *בֵּן נִגְמַר הַיָּהוּדִים* *bo nigmar hajahas*. i. in eo genus deficit. De eo cui nullus filius natus est etsi plures filias suscepit. Hæc ratio maximè quadrat S. Mathæi proposito qui genealogiā *νομικῆν* tractat, neq; abluditā scopo S. Lucæ qui *φυσικῆν* Christi genealogiam refert. Nā seruato decoro atque omisso sacratissimæ Virginis nomine & parente, per quam Dominus genus suum *φυσικῶς* à Dauide ducit, nihilominus naturalem Christi originem memorat: Quia beatissimam Mariam à Dauide fuisse oriundam atque sororem patrualem Iosephi, & Matthat auum tam Iosephi, quàm beatissimæ Mariæ maximè verosimilibus argumentis mox probabitur. Vnde se-

*recensione* quitur in genealogiæ naturalis Iosephi S. Lucam etiā genus naturale Christi edidisse. Quod fuisse cunctis notissimum Apostolorum ætate ex eorum libera assertione iudicari potest. S. Paulus Dominum Iesum ex semine Dauidis esse secundum carnem asserit.



Rom. 1. 2. Tim. 2. Quæ vetba nonnisi ad naturalem genealogiam referri possunt. Ex quo necessario colligitur sanctiss. virginem ex eodem esse genere: Christus enim propriè non est ex Davidis semine *κατὰ τὸ ρητόν*, nisi Maria mater ipsius, cuius solius ex sanguine cretus est, etiam ex Davidis semine sit. Id ipsum clarè S. Lucas innuere videtur oratione Angeli ad sacratissimam Virginem. Sic inquit Angelus, Dabit ipsi Dominus Deus thronum Davidis patris sui. Ergo beatissima Maria fuit ex genere Davidico. Quia non alia ratione filium illum suum fore Davidis filium intellexit, nisi quòd ipsa esset Davidis filia. Respondet enim Angelo, *Qui hoc fiet? virum non cognosco.* Enimverò si ipsa regia stirpe, & genere Davidico orta non fuisset, cùm Angelus assereret filium illum ex ea nasciturum fore Davidis filium, potuit statim cogitare de marito generis Davidici, potissimùm de Iosepho cui desponsata erat: Quod cùm illi in mentem non venerit, sed dixerit virum non cognosco, professa est utique se esse Davidis filiam, quando filium ex se nasciturum etiam Davidis filium fore intellexit.

Quartum caput in quo consentiunt sancti Matthæus & Lucas est, vtrumque à Dauide ad Iosephum maritum Mariæ Virginis sanctissimæ, Salathielem, Zorobabelem, & Matthatum nominare inter eos quos recensent. Cuius rei ratio petenda est ex secundo canone ab Africani epistola prompto, genealogias scilicet legalem & naturalem coire in Salathiele & Zorobabele atque iterum in Matthato, tertio atque vl-



timo in Iosepho: Quia tres illi iure gentilitio hæreditatem adeunt Iechoniæ, Eleazaris, Iacobi, deficiente in eorum familia prole masculina. Filij enim Iosifæ Iochanan siue Ioachas qui à Mathæo Iechonias dicitur & fratres eius, eorumque nati in captiuitate Babylonica planè extincti sunt, vt colligere est ex *2. Reg. cap. ult. & 2. Paral. cap. ult.* Quod de Iechonia filio qui Iehojacim paterno nomine etiam dictus liberis orbo nominatim significatur *Ierem. 22.* Salomonis itaque genus excinditur in Iechonia victo, qui post Sedeciam patrum suum regno, liberis, & luminibus orbatum à Nabucodonozore in pristinum regni honorem restituitur. Iechonias igitur vltimus ex Salomonis familia Salathielem Nathanis genere fatum iure gentilitio hæredem & successorem adsciscit. Nathan verò Salomonis frater fuit, Dauidis & Bethsabæ filius vt & Salomo, Hierosolymis nati ambo *2. Sam. 5. & 1. Paral. 3.* Ea est ratio propter quam Salathiel dicitur filius Iechoniæ victi *1. Paral. 3.* vbi animaduertendus est error Græci interpretis, qui pro victo habet Assir, quasi ~~vx~~ esset nomen proprium, quod est adiectiuum. Sanctus ergo Lucas Salathielem nominat in Iosephi genealogia, quia Iosephus naturale genus ducit à Salathiele, vt & Salathiel à Nathane. Mathæus verò eiusdem Salathielis meminit, quia deficiente in Salomonis familia prole masculina, posteris Iosifæ interemptis, Salathiel ex familia Nathanis Iechoniæ succedit, eaque ratione lege filius Iechoniæ dicitur. Nam legitimus hæres & successor in genealogia quæ lege censetur, etiam

filius



filius nominatur. Atque hac ratione filij nomen non semel vsurpari in genealogia Regum Iudæ, quæ habetur in libris Regum & Paralipomenon, liquidò constat. Verbi gratia Sedecias Iechoniæ patruus filius Iechoniæ dicitur 1. Paral. 3. Quia abducto in captiuitatem Iechonia patruus eius Sedecias à Nabucodonozore Rex factus est. Cùm igitur Sedecias Iechoniæ filius dicitur, id *νομικῶς* de successione non *φυσικῶς* de generatione naturali est intelligendum. Non dubito quin Ezechias Achasi filius ita dicatur. Constat enim ex libris Regum & Paralip. Achasum obiisse anno ætatis 36. Ezechias verò qui continuò regnum excepit, eodem tempore dicitur natus annos 25. Achas igitur vndecim annis tantùm prouectior Ezechia fuit. At non est verosimile quarto ante pubertatem anno Achazo genitum Ezechiam. Igitur filius illic etiam successorem significat. Hoc etiam modo Salathiel Iechoniæ filius intelligendus venit tam in Euangelio S. Mathæi, quàm in libris Paralip. Siquidem constat Iechoniam nullos habuisse naturales filios. Sed dicitur apud S. Lucam Salathiel Neri filius ratione naturalis genealogiæ. Ab vtroque autem Zorobabel nominatur, quia & naturalis filius Salathielis & legitimus hæres successórque eiusdem fuit. Prætermittunt Evangelistæ Pedajam inter Salathielem & Zorobabelem sequuti Esdram & Aggæum. Eadem ratio quam adduximus pro Salathiele vtrobique nominato pro Matthæo etiam satisfacit. Vt enim obeunte diem suum Iechonia absque filiis, Salathiel ei successit, eaque lege Iechoniæ filius nominatur, ita mortuo sine filiis



Eleazaro, Matthatus naturalis filius Leui Eleazaro succedit, ideoque lege filius eius esse dicitur. Quæ ratio omnino eadem est cur Iosephus à Mathæo Iacobi filius, à Luca filius Heli dicatur. Hinc etiam colligere est Iacob & Heli fratres fuisse non modò vterinos, sed germanos atque Matthato genitos. Iacob maior natu fuit. Nullus ei natus est filius, vel saltem superstes fuit: quare Iosephus fratris filius ei succedit. Omnia illa sibi cohærent, Euangelistarum scopo quadrant, scripturæ & rationi cõsentanea sunt, nitunturque maxime his firmamentis, nempe quod Matthæus genealogiam *royales* commemorat, quæ iure gentilitatis & agnationis hæreditatem adeundi & succedendi censetur, vnde Reges omnes Iudæ Davidis legitimos successores & hæredes refert ad Salathielem vsque, etsi Salathiel ab illis naturalem originem non ducit. Lucas verò naturalis generis seriem exequitur in genealogia sua. Quò fit vt Nathanis posteros recenset, nullumque regum Iudæ nominet. Extincto nanque Salomonis genere ex quo Reges Iudæ prodierunt, ius regni transit ad familiam Nathanis, primumque ad Salathielem peruenit. Quantum autem ad Iosephi & beatissimæ Mariæ cognationem, hæc in medium proponimus examinanda piis prudentibusque, & Ecclesiæ Catholicæ iudicio subiicimus. Ex quibus colligere est duorum Iacobi & Heli fratrum, quorum filius Iosephus esse dicitur, alterum Iosephi naturalem patrem esse, alterum legalem. Sed præterea existimarunt nonnulli alterutrum eorum fuisse etiam Iosephi focerum: Vnde Beza subaudiendum arbitratur apud Lucam ia



Lucæ τὸ εἰλε, γαμβρὸν. Sed grauiter hallucinatur. Non enim idem potest esse lege pater naturalis Iosephi, & focer. Sed secundum legem pater legalis Iosephi atque eius focer potest esse maximè. In quam sententiã totus eo, vt Iacobus non modò Iosephi patruus & pater legalis, sed etiam focer fuerit: Qui filiam suam Iosepho fratris filio nuptum dedit, grauissimis causis inductus vt id faceret. Ex quo enim pater legalis Iosephi Iacobus fuit sequitur Iacobum naturalem filium nullum habuisse, qui fratris filium ad successionem adoptauerit. Sed si qua filia Iacobo exitit, ea etiam proximo agnato successuro collocanda nuptui fuit. Id enim lege cauetur. Hinc sequitur sanctissimam Virginem filiam esse Iacobi & Iosephi sororem patrualem. Atque Iosephum iure cùm hæreditatem Iacobi petiisse, tum Beatissimæ Mariæ nuptias ambiuisse. Huic coniecturæ adde. Quòd sancta Maria fuit ex genere Dauidico: Id Angeli verba & Virginis responsio significant. Sed videntur innuere non modò eam Dauidis genere natam, verùm etiam eo posterorum Dauidis, in quem inter Dauidicæ familiæ reliquias hæreditatis ius deriuaretur, qui tamen mascula prole casus esset. Tota enim Angeli oratio comparata videtur in solatium afflictæ familiæ rebus attritis & filiis orbata. Ad hæc visum est multis Iosephum quodam iure adductum fuisse, vt Beatam Mariam vxorem duceret. Nullo verò iure eam ducere tenebatur si Iacob filia non fuit, cuius hæreditatem aditurus erat Iosephus, cuius etiam filiam cognationis iure vxorem ducere debuit, vt sancitur. Num. 36. *Omnis filia qua hæ-*

Leuit. 18.  
illam



reditatem in aliquo tribu Israelis nacta fuerit uni ex cognatione tribus paternæ elocabitur. Nec quisquam dubitare debet quin nuptiæ fuerint inter patruelles sanctissimæ. Legis enim illius autoritate filix Tslophcad patruelibus suis connubio iunctæ sunt. Commendatur etiam matrimonium contractum inter Hotnielem & Hacsam Calebi filiam patruelles. *Ios. 15. Iud. 1.*

Ex iisdem rationibus, quas suprâ tradidimus pro consensu duorum Euangelistarum, causæ discriminis inter eos etiam aperiuntur.

Mathæo enim, qui genealogiam legalem seu seriè successorum refert: familiæ Dauidicæ proceres & summates viros, penes quos aut regnum aut ius regni fuit, atque autoritas aliqua inter gentiles suos, nec tamen omnes, enumerare necesse fuit. Nam memoriæ iuuandæ causâ in tres tessaradecadas numerum illum contraxit. Et idcirco in secunda tessaradecade à Ioram ad Hosiam tres prætermisit Reges Iudæ Achaziam, Ioam, Amasiam, qui in libris Regum & Paralip. numerantur. Sed consultò, sapienti Spiritus sancti ductu, hoc etiam factum videtur: Quòd illi tres, ira atque ultione diuina sæuiente, inopina & violenta morte ceciderint, & suorum facinorum pœnas eos dedisse scriptura notet. Laudatur enim à Domino Iehu, qui Achaziam iussit interfici, *2. Reg. 9. & 2. Paralip. 22.* Quòd scelerum & impietatis Achab fuerit particeps. Ioab à familiaribus & domesticis trucidatus iusto Dei iudicio dicitur, ob patratum nefandum Zachariæ Prophetæ & Pontificis parricidium, qui filius Iojadæ fuit, qui Iosiam Regem & Regnum



Iudæ seruauerat, 2. Paral. 24. Amasias à coniuratis cæsus, impie factum eius vindicante Deo, 2. Paral. 25. Videntur itaque hoc censu & ordine moti, quasi Diuina censura passi notam.

Sed cùm S. Lucas naturale genus Iosephi prosequeretur, omnes eius maiores ab ipso ad Nathanem percensere opus habuit. Ex quo multo plura apud Lucam à Dauide ad Iosephum quàm apud Mathæum extant capita.

Suprà dicta rationem matrimonii Diuinâ prouidentiâ inter Iosephum & sacratissimam Virginem pacti, Christianis animis maximè satisfaciendam suppeditant. Vulgo has assignant, vt consultum esset famæ Virginis sanctæ, vtque dux & defensor ipsi, & puero Iesu educator suppeteret, hoc matrimonium oraculo ratum fuisse. Sed hæc tertia maioris est momenti, vt legitima serie & successione Iesus Christus esset Davidis hæres simul & filius. Cuius successionis ius per Iosephum ratione matrimonii inter ipsum & B. Virginem contracti ad Dominum Iesum deuoluitur. Ita vt nihil desideretur quin Christus quoquomodo Davidis filius, hæres, & successor agnoscat.

Quantum ad rationes tessaradecadum ita consieri posse existimamus. Ab Abrahamo ad Dauidem inclusiuè sunt quatuordecim capita. A Dauide ad Iosiam inclusiuè quatuordecim. A Iosia ad Iosephum inclusiuè quatuordecim. Christus verò est ἀγενεαλογητός. Ita assignarunt illas Patres Græci. Sed alia præterea tessaradecadum ratio iniri potest. Vt ab Abrahamo ad Dauidem inclusiuè prima censeatur. Secunda post Dauidem à Salomone ad Iechoniam primò nominatum cum fratribus eius in captiuitatem abductis (qui in quibusdam manuscriptis codicibus Eliakim dicitur, quos satis audacter Geneuentes in sua versione vernacula secuti sunt) inclusiuè



computetur. Tertia ab altero Iechonia Iehojacim filio, qui & patri cognominis fuit, qui & in captivitate patri cognomini primùm, deinde Sedeciaë patri suo successit, ad Iesum Christum inclusivè absolvatur.

Sed non prætermittenda silentio est varia illa manuscripti codicis lectio quæ habet: *Ἰωσίας ἐγέννησε ἐλιακίμ. ἐλιακίμ δὲ ἐγέννησε ἰερχονίαν καὶ τὸς ἀδελφοὺς αὐτῆ ὅτι τῆς μετοικεσίας βαβυλωνος, &c.* pro qua in veteri editione Simonis Colinæi excusa Parisiis ann. 1544. habetur *Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν ἰωακίμ. ἰωακίμ δὲ ἐγέννησε ἰερχονίαν καὶ τὸς ἀδελφοὺς αὐτῆ ὅτι τῆς μετοικεσίας &c.* Quam editionē authoritate manuscriptorum codicum subniti dubitandum non est. Extant enim inter plures novi testamenti veteres Græcos manuscriptos libros Bibliothecæ *Viri Amplissimi & Illustrissimi PETRI SEGVERII Francia Cancellarij de Regno Gallico deque Christiana Republica optimè meriti, literarum & literatorum decoris & columnis maximi*, duo codices, quorum vnus cum laudata Colinæi editione planè concinit. Alter verò post nomen *Ἰωσίας* veterem scriptionem consulto ita erasam & oblitteratam habet vt oculos quamlibet acutissimos fugiat: videtur tamen eadem fuisse quæ per Colinæum est edita: cui grandioribus notis ac recentiori atramento superscriptum, quasi emendatius & probatius, quod communilectione perhibetur. Quæ quidem duplex lectio nil me mouet contra autoritatem omnium editionum, omnium manuscriptorum, contra lectionem receptissimam omnium Patrum Græcorum, Latinorum, versionem Latinam, metaphrasin Syriacam, Iosias genuit Iechoniam & fratres eius, qui transmigrationis Babylonicæ tempore extiterunt. Iechonias verò, qui post transmigrationem Babylonicam extitit, genuit Salathiel. Sic Græca interpretamur. Subaudiendus enim



utrobique articulus præpositiuuus, nempe ante ἕτι τῆς μετοικεσίας subaudi τῆς. Et ante μετὰ τὴν μετοικεσίαν subaudi ὁ. Ut alius intelligatur Iechonias ἰ μετὰ τὴν μετοικεσίαν. quàm ille qui cum fratribus pro vno habentur ἕτι τῆς μετοικεσίας. Estque ille prior Iechonias filiorum Iosifæ maior natu. Alter Iechonias est Iosifæ nepos, filius Eliacim qui & Ioacim.

Probatum autem priorem Iechoniam esse filiorum Iosifæ natu maiorem, qui in libris Regum & Paralipomenon dicitur Iochanan & Ioachas: Quia ita appellatur ab interprete Græco Esdræ primi libri capite primo. Qui repetit ex vltimo capite posterioris libri Paralipomenon quæ de Iosifæ memoratur, refertque post obitum Iosifæ populum Iudaicum filium Iosifæ natu maximum, quem Iechoniam vocat, Regem instituisse. Ita Græci nomen Ioachas vel Iochanan reddiderunt. Quos Sanctus Mathæus Græcè scribens sequutus est. Prior itaque Iechonias successisse Iosifæ dicitur vnà cum fratribus transmigrationis tempore: Quia Iechonias siue Ioachas vel Iochanan à populo Rex factus est: Quem Pharaò Neco regno mouit, & in Ægyptum abduxit, inque eius locum fratrem Eliacim quem Ioacim nominauit, Regem instituit. Hunc Nabucodonozor regno deturbauit, & filium eius, qui alter Iechonias est, eius loco subrogauit: Cui rursus in sensu Sedeciam patrum substituit. Tandem Sedecia rebellante, captis Ierololymis, Sedecia liberis in parentis conspectu interfectis, oculis eius confossis Iechonias generis Iosifæ vltimus in pristinam dignitatem restitutus est. Prior itaque Iechonias Iosifæ filius natu maximus, qui idem est atque Ioachas & Iochanan, & fratres eius Eliacim siue Ioacim, & Sedecias inuicem facti Reges transmigrationis tempore per populum Iudaicum, per Reges Ægypti & Babylonis, pro vno censentur. Al-



ter Iechonias, qui sublati omnibus Iosæ filiiis superfuit & Nabucodonozori Regi post transmigrationem favorabilis admodum & acceptissimus fuit, caput alterum obtinet. Quod cum suboleret quibusdam, nec tamen accuratè satis expensum esset, priorem Iechoniam Eliacim vel Ioacim patrem alterius Iechoniæ esse existimantes, ad marginem huius centus Evangelici adnotarunt *Ἰωσίας ἐγγισσε ἐλιachim. vel Ἰωαχίμ. Ἰωαχίμ δὲ ἐγγισσε ἰερχία.* Nec dubito adnotatum ad marginem librariorum & amanuensium incitiam in textum irrepsisse in quibusdam codicibus. Verùm certissima est sancti Mathæi scriptura quæ publicè receptissima est.

Superest in genealogia S. Mathæi leuiculus scrupulus, in genealogia S. Lucæ alter operosior. S. Mathæus habet Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius *ὅτι τῆς μετοικεσίας βαβυλωνος.* Constat verò Iosiam fato functum ante illam transmigrationem. Sed articulus subintelligendus ut supra monuimus, tollit omne negotium. Nam si dicas *οἱ ὅτι τῆς μετοικεσίας* vel *τῆς*, res est plana.

Apud Lucam verò quartus post Noachum inter Sala & Arphaxad intercalatur Cainan, qui occurrit etiam apud Græcos interpretes Moyſis & Paralipomenon, quod cum Hebræis fontibus non consonat: Quorum auctoritas est maxima. Non dubitant viri docti asserere expungendum alterum Cainan, quod videtur irrepsisse librariorum & amanuensium ignavia tam in Euangelium secundum Lucam, quàm in LXX interpretum exéplaria. Cùm in manuscriptis S. Lucæ aliquot codicibus vetustissimis scriptum habeatur τὸ *καλὰ τὸ ἀρφαζὰδ* prætermisso secundo Cainan, ut refert dignitate & eruditione vir excellentissimus Hugo Grotius in suis ad hunc locum adnotationibus: Censetque Diui Irenæi temporibus lectum

non



non fuisse. Neque vestigium apparere lectionis illius ante quartum seculum comprobaturque Cordeſii τὸ μακρὸν ſententiam, qui exiſtimauit Cainanis nomen hoc loco non extiſſe in primitiuis S. Lucae & 70. interpretum exemplaribus, firmavitque pluribus non leuis momenti rationibus: idipſumque vir ampliffimus reuincit multis argumentis & autoritatibus: Quem conſule. Quorum in ſententiam incunſtanter vt concedamus Hebraici textus autoritas nos mouet, quæ cum Thargumim & Codex Samaritanus & vulgata Latina tam in libro Gen. quàm in lib. Paral. conſonant.

*Cum alioquin vacatura eſſent hæc & altera pagina, & ſubdifficile quibusdam videri poſſit quod de iure Regni à Davide ad Ieſum per legitimam ſucceſſionis ſeriem deriuato & deducto diximus, ſequentia illuſtrationis gratia adnotanda exiſtimauimus ad paginam 21. poſt illa verba Hæres, & ſucceſſor agnoſcatur.*

**S**iquidem id maximè ſancti Euangeliftæ Mathæus & Lucas in genealogia Chriſti recensenda fatagunt, vt probent Ieſum verum eſſe Meſſiam ad quem ius Regni pertinet, & in quo terminatur. Ratione matrimonii ſanctiffimi inter beatiffimam Virginem & Iosephum contracti. Quo in matrimonio Deus ipſe obũbrante & fœcundante ſacratiffimã Virginẽ Spiritu Sancto filium & hæredem Iosepho excitauit: Qui Iosephus non modò naturale genus ad Dauidem duxit: Sed legitimus etiam dignitatis & ſtemmatũ familiæ Davidicæ iure Iudaico hæres & ſucceſſor extitit, per quem ius illud Regium fidei Davidis & generis Davidici commiſſum ad Meſſiam propagatur, quod ſupra demonſtratum eſt. Eſt autem Meſſias verus & Germanus Iſraelitici populi Rex & Dominus. Reliqui à Davide ad Meſſiam in familia Davidica hæredes & ſucceſſores ſi comparentur ad Meſſiam, cuius typi exti-



terunt, quasi Reges fiduciarij & hæredes fideicommissarii iuris quod ad Messiam pertinet solummodò habendi sunt. Propriè enim Israël regnum ad Messiam pertinet: Nam quamuis multoties solium Davidis & Salomonis esse dicatur libri prioris Regum *capitib. 1. & 2.* propriè tamen & præcipuè solium illud Dominici regni atque ipsius Messiae insigne est, quod probatur sequentibus. 1. *Paralip. cap. 28. versib. 4. & 5.* Omnes Principes & Tribunos Israëlitici populi David his verbis compellat. Inter tribus Israël elegit Dominus Iudam *lenagid. i.* ad Principatum, & in Tribu Iuda domum Patris mei, & inter natos Patris mei pro sua erga me benevolentia elegit me Regem totius populi Israël: Atque inter filios, quos mihi quàm multos dedit, Salomonem filium meum elegit, vt sedeat super solio DOMINICI Regni in Israël. Et *cap. 29. 23.* Super solio Domini sedisse Salomo dicitur. Et 2. *Paralip. 12. 8.* Pronunciat Dominus se subiicere Roboamum & Ierosolymitanos Regi Ægypti Sifac vt experimento suo discerent Regni sui & regnorum orbis terrarum discrimen. Significat autem per regnum suum Dominus, Regnum cuius Reges Iudæ vicem gesserunt. Et eiusdem libri cap. 13. Rex Abias exprobrat decem tribubus contra regnum Domini, quod filiorum Davidis in manus traditum fuerat, eas rebellassè. Quare valde appositè Rerum Iudaicarum scriptor Iosephus Israëliticæ Reipublicæ statum theocratiam appellauit. Quod non modò ante Saülis & Davidis & reliquorum inaugurationem quadrat: Sed simpliciter & absolutè per omnem ætatem extenditur. Quia propriè illius populi Rex est Messias. Vnde in Iacobi testamento Silo appellatur. Cui nomini atexitur *velo iycquebarb hammin. i.* cuius est Ecclesia siue congregatio populorum. Atque ad vocis Silo etymon manifestè



adludit Ezechiel cap. 21. in illis *had bo ascher lo hammischpath venathathiu*. i. Donec veniat is ad quem ius pertinet, & tradam ipsi. Adeoque admirandum in modum Prouidentia diuina suspicienda est, quæ Pilati manu & autoritate quamuis improbi, reluctans etiamnum improbis Iudæis, veram de genere Messix & dominio fidem tribus linguis vniuersitatis mortalium oculis subiecerit in crucis titulo IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.

ERRATA.

pag. 14. lin. 26. post Iosephi *adde* recensione: p. 19. l. 2. post lege *adde* Leuit. c. 18. 9. & lin. 3. post legem *adde* illam: pag. 20. l. 27. pro Ioab lege Ioas.



A P R O B A T I O.

**N**OS *subsignati Doctores in sacra Facultate Theologiae Parisiensis* testamur in eruditissima Philippi Codurci dissertatione, cui titulus est, De Genealogia Domini nostri Iesu Christi, à sanctis Matthæo & Luca conscripta, nihil esse, quod Catholicae fidei & bonis moribus aduersetur. Datum Lutetia Parisiorum, anno Domini 1646. die verò 9. Maij.

DE FLAVIGNI.

DE LAVNOY.





*Extrait du Priuilege du Roy*

**P**AR grace & Priuilege du Roy, donné à Paris le 26. iour de Iuillet l'an de Grace 1645. Signé, Par le Roy en son Conseil, PHELIPPEAVX. Il est permis à M. C O D V R C de faire imprimer, vendre & debiter vn Liure par luy compose, intitulé, *De Genealogia Domini nostri Iesu Christi, à sanctis Mathao & Luca conscripta*, & ce durant le temps & espace de dix ans, à compter du iour que ledit Liure sera acheué d'imprimer. Et defenses sont faites à tous Imprimeurs, Libraires, & autres personnes, de quelque qualité & condition qu'ils soient, de l'imprimer, vendre ny debiter sans le consentement dudit Exposant, à peine de trois mil liures d'amende, & confiscation des exemplaires, ainsi qu'il est contenu plus au long esdites Lettres de Priuilege.

*Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 14. May 1646.*



